



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

131. Servi paralytici herus mittit seniores Iudæorum ad Christum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

F. II. Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico; Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. *Matthæi 9. v. 6. Marc. 2. v. 10. & 11. Luc. 5. v. 24.* Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat: & abiit in domum suam, magnificans Deum. *Luc. 5. v. 25.*

III. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. *Matth. 9. v. 8.* Surrexit ille, & sublato grabato abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes: Quia nunquam sic vidimus. *Marc. 2. v. 12.* Stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie. *Luc. 5. v. 26.*

MEDITATIO CXXXI.

*Servi paralytici herus mittit seniores
Iudaorum ad Christum.*

I. **C**UM IESUS impleret omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum. Centurionis autem cujusdam servus malè habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus. *Luc. 7. v. 1. & 2.*

II. Et

D. N. IESU CHRISTI. 125

I. Et cum audisset de IESU, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum, ut veniret, & salvaret servum ejus. *Luc. 7. 6. 3.*

III. At illi cum venissent ad IESUM, rogabant eum sollicitè, dicentes ei: Quia dignus est, ut hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram: & synagogam ipse ædificavit nobis. IESUS autem ibat cum illis. *Luc. 7. 6. 4. 5. 6.*

MEDITATIO CXXXII.

Idem herus centurio Christum per amicos adit, & alloquitur.

LET cum jam non longè esset à domo, emisit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari: Non enim sum dignus, ut sub testum meum intres. *Luc. 7. 6. 6.*

I. Propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus. *Luc. 7. Vers. 7.*

III. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; & dico huic: Vade, & vadit; & alij: Veni, & venit; & servo meo: Fac hoc, & facit. *Luc. 7. 6. 8. Matth. 8. 6. 9.*